Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 157

Quelle:
Copyright:

tulit Chriſto et digne eum adorauit. Putizar uel baſſamar in capillis et barba (nondum facie) *niger erat. habens tunicam rubeam. ſago albo et uaria calciamenta. ipſe mirram obtulit. — Tria ueſtimenta ſignificant patrem et filium et ſpiritum ſanctum.* Notent haec Pictores. Deinceps de Rebus *Romanorum*, Magiſtratibus, Militia, Armis, Ludis, &c. maximam partem ex *Iſidori Originibus.*

VII. *fol.* 157. *Expoſitiones diuerſorum uocabulorum.* Libellus eſt *Fab. Planciadis Fulgentii* editus ſaepius cum *Non. Marcello*, et inter *Autores Ling. Lat.* a *Dion. Gothofredo n.* 5. *Genevae* 1595. 602. et 622. 4. Abeſt a Noſtro *Epiſtolium* praevium, textus ipſe non parum vitiis laborat. Initium: *Sandapilam dici uoluerunt antiqui feretrum mortuorum. i. loculum in quo non nobilium corpora. ſed plebeiorum atque dampnatorum cadauera portabantur* &c. Deeſt in fine expoſitio τϑ *Delenificus*, ejusque loco adtexta eſt Series Vocabulorum graecorum latine redditorum, puta: *Apofaticum. i. negatiuum. Catafaticum. i. Confirmatiuum* &c. et ipſa non parum deformata.

VIII. *fol.* 160. p. 2. *Expoſitiones Vocabulorum.* Congeries jam tardioris aevi *Catholicon Joh. Januenſis* et *Vocabularium Ex quo* ſapiens. Initium: *Diſſipo componitur a prepoſitione diſ. et a uerbo ſapio ſapis. i. ſpargo. quod deſcendit a nomine ſapa. i. foſſorium.* Non omnium tamen Vocum indicantur Ετυμα, ſaepe ſolus Vocabuli ſignificatus exponitur. Ita: *Palma tres habet ſignificationes. Palma. i. manus extenta. palma eſt arbor cum foliis. palma eſt uictoria.* E vocabulo *Formadius* Italum habuiſſem Compilatorem, niſi jam Teutonica inſperſa eſſent, id, quod in ſequentibus *Indiculis* longe frequentius accidit. Hic legas: *Publico. i. proſcribo. ich frone. Paruipendo. ich verſmahe. Aditum vleze. Aditus zuovart. Prouiſor amman. Vendico ich aigene. Gerulus tragere. Suggero ich rate. Conuenio ich geſpriche. uel dinge. uel anwirde. uel zeſamene chume. Circumuenio ich betrwge. Dica brief. uel ſage gerwne. Auleum umbebanch.*

IX. *fol.* 163. *Incipit Abecedarius.* Expoſitio Vocabulorum, ſic dicta, quod ad Alphabeti praeſcriptum ordinata ſit. Graeca hic latine, Latina teutonice explicantur. Delibemus quaepiam. *Aſcia twerbacs. Anchora ſenchelſtain. Arula gluthaven. Arioli Zouberare. Architector techare. Apes pigin. Aries pheterere. Albugo cincho. Aculeus gart. Brancon faux chouwe. Bilinguis biſprechere. Bombus anſpin. Buccilarius ochſnar. Bleſus liſpar.* Atque ita et reliquae Literae ad *Gloſſaria* noſtra ditanda συμβολην ſuam conferunt.

X. *fol.* 170. p. 2. *Greca Nomina Domini.* Ita quidem Rubrica, ſed per decurſum multae aliae Voces hebraicae et graecae per latinas exponuntur, idque non raro aut Interpretis, aut Librarii culpa mendoſe. Sic: *Silev ebr. apoſtolus grece. miſſus latine. Aſer ebr.*